FRANCISCI

STORELLA ALEXANENSIS

PHILOSOPHI, LIBELLVS DE IN-
uentore Logices, non minus Logicis,
quàm leuioris Studij profeſſo-
ribus, quàm utillimus.

NEAPOLI

Excudebat Matthias Cancer.

M. D. LV.

73

FRANCISCVS STORELLA, DOMINO Ioanni Angelo Romano, Liberalium Artium, Mædicæ facultatis, ac etiam Sacrarum Literarum Doctori celeberrimo, fœlicitatem.

LIBELLVM de Logices inuentore emiſſurus, ter celeberrime Doctor, cognoſcens ei, qui arboris dominus exiſtit, fructus quidem omnes ferri debere, ne furti accuſarier poſſim (mei ſiquidem dominus es) illum ad te mitto: in tenui profectò labor, (dum .n. ex ægritudine conualeſcens grauioribus ſtudijs inſudare nequiueram, eum compilaui) at non tenuis erit gloria, ſi quæ mihi ſcripta ſunt, tibi placuiſſe cognouero, tu autem non muneris exiguitatem, ſed (ut tua eſt humanitas) largientis animi magnitudinem accipere non dedigneris. Vale & me, ut facis, ama.

INTENTIO, CAVSA, INVOCATIO, Ordóq; obſeruandus.

VVlgatum eſt Auerrois in Ariſtotelem elogium, quòd Logicam inuenerit, amplificarit, ac etiam perfecerit, hoc, cum aliquibus argutijs falſum eſſe ſuſpicari poſſit, à ueritatis ſemita haudquaquam alienum oſtendere decreuimus. ac ne caſu quodam ferri uideamur, quæ dubium pariunt, primò in medium adducemus, dein elogij ſententia declarata, Ariſtotelem peripateticorum Principem Logicę inueniſſe, & perfeciſſe concludemus, poſtquæ (quatuor hæſitationibus dilutis,) tyronum gratia, duarum dictionum, Ariſtoteles ſcilicet, & peripateticus, ſignificationē dilucidabimus, demum, ſi diuinum fauerit numen, ad obiectiones demoliendas accedemus.

In præfa. phyſic.

OBIECTIONES DVODECIM, QVAE ARISTOtelem Logicam non inueniſſe probare uidentur.

SEntentia eſt Alexandri atq; Theophraſti (ſi uerum narrat Euſtratius) quòd duo ſunt inſtrumenta ſciendi, demonſtratio, & definitio, quod Auerroes ex his ſurripiens in Epitoma Logico etiam ſcriptum reliquit. Duæ igitur erunt Logices nobiliſſimæ partes, altera qua demonſtratio, altera uerò qua definitio explicatur: eam quæ definitionem docet, adeo calluit Tarentinus Archytas, quòd ipſe etiam antiquitatis ſtimulus Ariſtoteles eas definitiones maxima laude ſit proſequutus, quæ ab Archyta receptæ fuere, unde Auerroes ab ipſa ueritate coas

Secundo poſterio. Com. 46.

In principio.

Prima obiectio.

8. Methaphy. 6.

Ibidem.

ctus, Archytam perfectas definitiones abſtrahere ſciſſe confite
tur, quòd ſi ita eſt, nonne mentitur, dum Ariſtotelem Logices in
Secūda obiectio. uentorem aſſeuerat? ob quod, ſi aliam partem ſpectes, qua de-
monſtratio enucleatur, nec etiam eius Ariſtoteles primus inuē
tor occurret, prius enim quàm ipſe, Megarenſis Euclides eas de
monſtrationes confecit, quas in primo gradu certitudinis eſſe, om
Tertia obiectio. 1. Topicorū. 4. nium eſt conſenſus. Præterea ſi deffinitio rei naturam explicat,
cum diuinus Plato & demonſtrationem, & definitionem ſit de
finitione proſequutus (ut Speuſippus eius ex ſorore nepos teſta
tur, eo in libello, quo Platonis definitiones collegit) quis in dubiū
Quarta obiectio, uertet, illum utriuſq; naturam, & canones percalluiſſe? Adde
In ſecunda ſect. quòd quatuor Methodis, diuiſione ſcilicet, definitione, demon-
primi Priorum. ſtratione, & reſolutione, Logicum negocium Platonem fuiſſe
In expoſitiōe prædicabil. amplexatum, Philoponus & Amonius ſcriptū reliquere. Quin-
Quinta obiectio. immo, eum tota ferè Logica uſum, Doctiſſimus Beſſarion, in pri
Cap. 4. mo contra Platonis calumniatorem, & Alcinous, in libro de do-
Cap. 6. Sexta obiectio. ctrina Platonis, apertiſſimè demonſtrant. Magnus etiam naturæ
In princi. poſter. ſtupor Albertus aſſeuerare uidetur, ante Ariſtotelem, Zenonē
Septima obiectio. In Sophiſta. de demonſtratione ſcientiam confeciſſe, ex qua excerpta quædā
Octaua obiectio. ad ipſum perueniſſe clarè teſtatur. Sed bone Deus, quid Alber-
Nicoletus in libr. tum citare opus eſt? cum ipſemet Ariſtoteles Zenonem fecerit
de diuiſione philo Dialectices inuentorem, uelut Empedoclem Rhetorices. Rurſus
ſophiæ, & Iulius Feltrus in tracta. uulgata eſt apud latinos Logices particio, in nouam atq; ueterē,
de ſenſu cōpoſito & diuiſo. ueteremq; partem dictam aiunt, eo quòd à ueteribus, & non ab
Nona obiectio. Ariſtotele fuerit inuenta. Adde quòd prædicationum librum qui
prima eſt Logicæ pars, ab Archyta paucis mutatis accepit, ut
Decima obiectio. Græcorum chorus teſtatur ferè uniuerſus, quòd ſi Archytæ

prædicationum inuẽtionem referre nolumus, Diuino Platoni ſaltim referatur, qui has (Alcinoo teſte) cum alibi, tum in Parmenide manifeſtauit. Dein inter cæteras Logicæ partes Rhetoricẽ connumerant Amonius atq; Simplicius, à quibus nec Auer. nec Auicenna diſſentire uidetur. Hanc autem, cuius Empedocles inuentor fuit, (ut Ariſtoteles refert) & ſi non ad umbilicum deductam, ab antiquioribus tamen haud parum exauctam, idem confeſſus eſt Ariſtoteles. Sed quid multis moror, nonne lucidiſſimus Themiſtius (Philopono teſte) Analytica, Ariſtotelis inuentum non eſſe, ſcriptum reliquit? Cap. 6. Vndecima obiect. In præfa. prædicamentorum. In prologo primi poſte. primo poſte. 17, & in Epi tb. logico pluries. In libello de diuiſione ſcientiarũ. In calc. Elencho. Duodecima obie. In præfa. priorũ.

OBIECTIONES TRES, QVIBVS ARISTOTELEM Logicam non perfeciſſe oſtendi uidetur.

SEd condonetur Auerroi Ariſtotelem Logicam inueniſſe, atq; amplificaſſe: nonne apertiſſimum mendacium dicit, dum eam etiam perfeciſſe narrat? Videmus enim tum ex Latinis, tum ex Arabibus, atq; Græcis multa Ariſtotelis Logicæ addidiſſe, ut ſummulãtium turbã, quæ parua Logicalia uocãt, Seuerinũ Boethũ Librũ de diuiſione, et aliũ de definitione, Porphyriũ, quinq; uoces, Gilbertum Porrectanum Pictauiẽſem Epiſcopum, ac magnum Simpliciũ, ſex principia, Galenum, quartam figurã, Præterea, cũ Ariſtoteles ſex ſyllogiſmorum tertiæ figuræ, quatuor uerò primæ modos enarret Porphyrius ſeptem tertiæ, & Eudemus ac Theophraſtus nouem primæ eſſe contendunt, & deniq; Alpharabius (Auerroe teſte) Ariſtotelis Logicam diminutam facit. tum quia uniuerſaliorem definitionis partem non explicuit, tum etiam quòd demonſtrationes ut ſunt unum certum genus In præfa. poſt. & primo poſt. 41.

entium nō declarauit, quibus adiunxit, quòd canones prædicatur primi, quod omnem demonſtrationem inſequitur prætermiſit. Quinimmo Albertus re & nomine magnus, eā partem qua definitio traditur, ab antiquioribus, aut non ſcriptam, aut ſi ſcriptā, ad nos tamen minimè perueniſſe literis mandatum reliquit, quòd ſi uerum eſt, quomodo Ariſtotelis Logicam, his præſertim in libris quos iam habemus completam dicere poſſumus? Tandem ne multò prolixior quàm conſtitueram, ſermo trahatur, nonne artes & ſcientiæ perficiuntur per iuuamen (ut Auerrois uerbis utar) prioris ad ſequentem? quòd ſi idem eas inuenire, amplificare, ac perficere poteſt, etiam ſi Thimoteus non fuiſſet, multam melodiam haberemus, & ſi non Phrynis etiam Thimoteus extitiſſet.

Decimaquarta obiectio.
In primo tractatu prædicabil. Cap. 5.
Vltima obiectio.
Secūdo metha. 2.
Vide Ariſtotel. 2. methaphy 2.

AVERROICI DICTI SENTENTIA declaratur.

CVm eos in medium adduxerimus aculeos, quibus Auerroicum elogium concuti poſſet, cōſequens iam eſt, ut eius ſententia ueritaſq; manifeſtetur, quò autem hoc expeditius fiat, illud in primis adnotandum eſſe ducimus, quòd Auerroe, Auicēna, atq; Ariſtotele autoribus, Logica duplex eſt, altera quidem naturalis, altera uerò quæ artificio coniungitur, naturalem quidē uocāt, naturalem potentiam qua unum naturaliter diſcernitur ab alio, hac nempe qui ſyllogizat, ſe ſyllogizare neſcit, cum ille ſic ſe habeat ad ſyllogizandum (ut magnus inquit Albertus) uelut ignis ad comburendum, qui dum comburit ſe comburere non compræhendit, Artificioſa uerò (quæ rationalis ſcientia dicitur) quid nam ſit, peculiari opuſculo à nobis eſt declaratum. Cū itaq;

Primo priorū. 12.
in ſua Logica. Cap. 2.
Primo Elencho. Cap. 8.
In primo tractatu prædicabil. Cap. 3.
Auerro. in princi. prædicabil.

Auerroes Logices inuentorem prædicatur, per Logicam naturalem haudquaq; ĩtelligere debemus, ea ſiquidem cum à natura hominibus inſita ſit, humanum intellectum inuentorem habere non potuit; nam cum à natura inſit (ſi Ariſtoteli credendum eſt) omnibus ineſſe fateri cogimur, licet in his quidem clarius, ĩ his uerò obſcurius, ſecundum organorum diſpoſitionem, (Deo Opt. Max. ſic iubente) inſpiciatur. cum igitur de naturali non loquatur Auer. de ea quæ artificio cõiungitur, intelligi par eſt. Huius autem Ariſtotelem inuentorem, bifariam intelligere poſſumus; uno quidem modo, ut hac ratione inuenerit, quòd à nemine ante ipſum fuerit inuenta, quo quidem ĩ ſenſu Auerrois dictum haudquaq; accipiendum arbitramur, tot enim tantoſq; uiros qui ipſum præceſſere, (ut fuit Hippocrates, Archytas, Euclides, diuinus Plato, ac alij multi) ſolum naturali logica præditos aſſerere, tum nephas eſſe credimus, tum ex quibuſdam rationibus ſuperius adductis falſum eſſe conuincitur. Altero autem modo intelligere poſſumus quòd logices quæ iam per Gymnaſia declaratur, Ariſtoteles ideo dicatur inuentor, quòd ex nullius ore uel monumentis methodicè ſcriptis illam perceperit, ſed naturali Logica imbutus, perſpicaci ingenio, cõuenientiq; complexione præditus, nullis laboribus indulgens, antiquorum monumenta lectitans, in quibus artes & ſcientiæ aliqualiter tali methodo cõſcriptæ inſpiciebantur, Alexandriq; Magni Macedonum Regis familiaritate adinueniendum excitus, (Principum enim benignitas ad artes inueniendas, inuentaſq; propagandas, haud paruum eſt incitamentum) tale ac tantum donum, à Deo Opt. Maximo humano generi tributum, licet ſudore parandum, animaduertit, introrſum

In princip. perih.

rimatus eſt, ac fruitus, & ne quãdoq; à Domino auaritiæ redarguatur, quòd largitum talentum non diſpenſarit, illud præ omniũ oculis ponẽs, quãplurimis uoluminibus explicuit. Eſto itaq; quòd hoc modo Ariſtoteles Logicam inuenerit, dictis tamen haud erit repugnãs, quinimmo ob tactas rationes neceſſarium aſſerere, antiquiores Philoſophos Logicam, & artificioſam quidem, per inuentionem habuiſſe, licet forſan nõ ita perfectam, ut Ariſtoteles quam nec ſcriptis nec uiua uoce illum methodicè docuerunt, quò quidem in ſenſu, Auerrois dictum intelligẽdum arbitramur.

AVERROICI ELOGII VERITAS *oſtenditur.*

Q Vòd uerò à ueritatis ſemita non ſit alienum, ſignum eſt euidentiſſimum, antiquiorũ uolumina hac in facultate nec extare, nec hiſtoriographorum aliquẽ, eos quicquam hac de re methodicè ſcripſiſſe, uel Ariſtotelem docuiſſe, fateri; quòd ſiquis ſigno credere non uult, credat ſaltim ipſi Ariſtoteli dicẽti.

In calce Elenchorum.

Huius uerò negocij nõ hoc quidẽ erat, hoc uerò non erat elaboratum, ſed neq; omnino erat, (negocium uerò uniuerſam Logicam dicit, ut Alexãder exponit) pauloq; inferius, de ea logices parte loquens, quæ ſyllogiſmum contemplatur, inquit, de Rhetoricis quidem plurima fortè & antiqua dicta extabant, de ratiocinatione conſtituenda omnino nihil aliud quod dicere poſſemus prius habuimus, ſed inquirendo cuntantes temporis plurimum elaborauimus. Concludamus igitur ne dum cum Auerroe, ſed etiam cũ peripateticorum expoſitorum Principe Alexandro, quinimmo cum ipſo Ariſtotele, concludamus aio concludamus, quòd aliæ

artes

artes non ab principio, neq; ab ipſis inuentoribus perfectæ fueꝛ re, ſed ab his, q eas recepere, abſolutæ, perfectaq; ſunt: Logicũ uerò negocium ab Ariſtotele primò inuentum & ab ipſo perfectum, cui nos omnes, non plurimam (ut ipſe dixit) ſed neq; tantum, quanta oratione complecti poteſt, gratiam habere oportet.

ADVERSVS CONCLVSIONEM
Quadruplex dubitatio deletur.

Illud autem hoc in loco prætereundum non eſſe ducimus, quod aduerſus ea quæ determinauimus, quatuor occurrunt obiectiones, quas ne diſſimulanter tranſire uideamur, eis ſatis facere tentabimus. Prima quidem eſt, quòd in toto hoc opuſculo nil aliud conati ſumus, niſi Auerroïci Elogij in Ariſtotelem, ueritatem oſtendere, & tamen in libello concluſionum, quas dum Patauinæ Academiæ Rectoris munere fungeremur, ſuſtinuimus, Doctoribus illius Gymnaſij (ob eorum maximã humanitatem) arguentibus, inter cæteras noſtras concluſiones, ſcripſimus hãc. Prima.
¶ Ideo naturæ Demon Ariſtoteles Logicam ipſam, ab alijs inuentam, (in hoc etenim Ariſtoteli Auerroes contradixit) & Concluſio, 94.
ſi non inuenit, amplificauit tamen, atq; perfecit.
¶ In qua quidem ex compoſito nobiſmet ipſis contradicere uideꝛ mur. Huic fiet ſatis, ſi id in medium adducemus, quod in ſuis lectionibus ſepe ſepius dicere ſolebat Hieronymus Stephanelꝛ lus Vir nedum ob eloquentiæ ſuauitatem & morum integritaꝛ tem, uerumetiam ob maximam ſcientiarum copiam ſeculorum memoria dignus, ac in naturali philoſophia noſter Præceptor ſemper obſeruandus, quòd ſi in re literaria duplex conceditur

ſorum, diſputationis unum, conſcientiæ uerò reliquum, in primo nedum quæ demonſtratione concludi poſſunt, uerùm etiam ambigua, quinimmo ut plurimum falſa ſuſtineri ſolēt, & ī hoc quidē tunc uerſabamur, iam uero in altero ſumus, ī quo exterior ſermo ab interiori diſcrepare non debet.

Secunda.

¶ *Altera autem dubitatio eſt, quòd ſic* Ariſtotelem Logices *inuentorem fecimus, ut multos ante ipſum eam inueniſſe concederemus. contra dicet quis, ex dictis colligitur, quòd* Ariſtoteles *fuerit inuentor, illis nihilominus repugnat eum primum inuentorem aſſerere, quia multi ante ipſum illam inuenere, & tamē* Aphrodiſienſis Alexander *eum primum inuentorem uocat.* Reſponſio *ſit facilis,* Alexandrum *uocaſſe* Ariſtotelem *primum inuentorem* Logices, *quæ eſt per doctrinam, non tamen eius quæ eſt per inuentionem, cum ea (ut ſupra etiam fuit cōceſſum) antiquiores prædiri fuerint.*

In calce Elench.

Tertia.

¶ Tertia *obiectio eſt, conceſſimus ſupra, antiquiores & definitionem & demonſtrationem artificiosè conſtruxiſſe, hoc eſt ualde ambiguum, uidetur enim eſſe contra autoritatem* Magentini, Philoponi, *ac* Alexandri, *qui antiquiores non ſolum demonſtrationem non ſcripſiſſe, ſed ne aliam rationandi* Methodum *nouiſſe affirmare uidentur. In huius obiectionis ſolutione, ut explicatè procedamus, uniuſcuiuſq; uerba adducemus, ac penſabimus,* Magentini *uerba ſunt.* Rationandi *uiam, & rationem, quā præbuit, laudibus extollit, & celebrat, utpote quam à ſe primum inuentam ueteres ignorarunt. Hæc ueriſſima eſſe affirmamus, inquit enim in his.* Ariſtotelem *ratiocinandi* Methodi *primum inuentorem, quòd à nobis ſupra ne dum eſt conceſſum, quinimmo*

In ſecunda ſectio. primi priorum.

quomodo intelligẽdum, declaratum. Affirmat præterea antiquiores eam ignoraſſe, haud tamen omnes, quod nec nos īficias imus, eos enim ſolum ex antiquioribus, quos æquus amauit Iuppiter eam artifitiosè nouiſſe conceſſum fuit. Philiponi autem uerba quæ magis urgere uidētur, ſunt, uult per hæc laudare traditam Methodum ab ipſo, nam nullus, inquit, ante nos hāc nouit, ſed cūti uſi ſunt Methodo diuiſiua, & per hanc putarunt oſtendendū eſſe. Nos autem intrepido animo quærimus, an hæc, ſic ex ſententia Philoponus protulerit, quod eis uelut ultimæ uoluntati nunq̃ derogarit? ſi negabitur, propoſitum colligemus, quippe qui Philiponi dictum haud amplius erit uniuerſale: ſi affirmabitur, eiuſdem Philoponi uerba ſtatim ſequentia opponemus. in quibus eos acriter impugnat, qui uolunt eo in loco philoſophum, Platonē incuſare, inquit enim Platonem demōſtrandi artem nouiſſe. quòd ſi ante Ariſtotelem Plato demonſtrandi artem nouit, quomodo igitur, omnes ante ipſum eam ignorarunt? aut itaq; ultima Ioannis uerba primis, uelut ultima uoluntas derogant, aut, uelut teſti cōtradictoria proferēti ei, nulla in hoc fides eſt adhibenda. Adde quòd expreſſum mendatium committit, dum ait, Ariſtotelē, Methodum à nullo ante ipſum cognitam, aſſeuerare. Aphrodiſienſis uerò Alexandri uerba ſunt propoſitum autem ipſi hic eſt, ut neminem ante ipſum de ratiocinationibus uel nouiſſe quippiam, uel tractaſſe oſtendat. Huius ſummi uiri autoritati ſatisfiet, ſi illud Logicum axioma proferemus, quòd. ſ. ad ueritatem diſiunctiuæ. ſufficit alteram partē eſſe ueram, eſto igitur quòd aliqui eam norint, cum tamen nullus eam Methodicè pertractarit, ob hoc Alexandri dicto non derogatur. Nec nos ſubſannet quis, uelut qui

Ibidem.

Ibidem.

tanti uiri autoritatem fugere potius q̃ ſoluere uideamur, nam ſi æquo animo, omniq; paſſione ſemota, illius uerba perpēdētur, cognoſcemus, quòd aliam expoſitionem non patiantur. Hæc nem pe duo, pertractare, ac cognoſcere, uelut prius & poſterius ſe habent, ſicut enim prius ſine poſteriori eſſe poteſt, (quò ad rem loquor, non quò ad relationem) poſterius autem ſine priori mi nimè, ſic cognoſcere abſq; pertractare eſſe quidem poteſt, pertra ctare uerò abſq; cognoſcere nullo modo, qui igitur prius negat & poſterius etiam abicit. cum ſine priori eſſe non poſſit, uelut qui aliquid animal eſſe negat, & illud hominem eſſe negauit, quòd ſi ſiquis dicat illud non eſt animal nec homo, irridēdus pro fectò eſt, hac quidem irriſione Alexandrum turpant, qui utrãq; partem ſuæ orationis ueram eſſe uellent, nam cum primó dicat nullum ante Ariſtotelem ratiocinationem nouiſſe, nullum etiam pertractaſſe aſſeruit, ridiculè itaq; poſtea illud iidem ſubiun xiſſet. inuertendus itaq; ei ſermo fuiſſet, & dicere debuiſſet, neminem ante Ariſtotelem quicquam de ſyllogiſmo uel pertra ctaſſe uel nouiſſe. Cum igitur utrãq; orationis partem uelut ue ram Alexandrum protuliſſe dicere non poſſimus, eum diſiun ctionis dignitate uſum affirmare cogimur, eritq; ſenſus & inten tioni & uerbis q̃ aptiſſimus. unde inquit, propoſitum Ariſto li eſt oſtendere quòd alij ratiocinandi Methodum uel non norūt, (at quia hoc uidebat eſſe falſum, ſubiūxit,) uel ſi norūt, nō tamē eam ſcriptis mandarunt.

Ex poſt prædica. cap. de Priori.

¶ Quarta demum dubitatio eſt, inter antiquiores, qui demon ſtrationem calluerunt, Platonem connumerauimus, hoc uidetur falſum, quippecū Magentinus aſſeueret, Ariſtotelem in anti

Quarta.

quiores, acrius tamen in Platonem inuehi, qui dum aliquid demõſtrare uolebant, diuidendi uia utebãtur, ac propoſitũ demonſtrare putabant. Nos autem huic reſpondentes dicimus, quòd uirum hunc hæc protuliſſe ualde miramur, nam cum in omnibus ferè Grammaticum ſequatur, facilè illius uerba efficaci ratione munita legere potuiſſet, quæ ſunt, Aiunt quidam ipſum inuehi in Platonem, nam uidetur Plato laudans Methodum diuidẽdi, maximè illam quæ fit ſecundum contradictionem, tanq; maximè ineuitabilem, tamen non dicit hanc eſſe demonſtratiuam, nam planè ſciuit differentiam diuiſiuæ methodi, & demonſtratiuæ, nam quatuor inquit eſſe methodos ſecundum philoſophiam, quæ ſunt inſtrumẽta dialecticæ ſ. diuiſiua, definitiua, demonſtratiua, & reſolutiua, ſed fortè inuehitur in aliquos alios exiſtimantes methodum diuidendi eſſe demonſtrãdi. Accedit ad hæc, quòd diuiſionem aliam methodum à demonſtratione feciſſe Platonẽ, Ammonius teſtis eſt. Dices, Magentini opinionem etiam Alexandrum tenuiſſe? Reſpondemus, hoc penitus eſſe falſum, ut autem res clarius ĩtelligatur, ſciendum, quòd diuiſiuam methodum in Phædro maximis laudibus proſequutus eſt Plato, unde quidam Platonici adeo ipſam magnificerũt, ut ea ſola uſi ſint, exiſtimantes, illa demonſtrandam concluſionem demonſtrari, in hos & non in Platonẽ Ariſtoteles inuehitur, declarando quod diuiſiua methodus imbecillis eſt ſyllogiſmus, ac id quod à principio poſitum eſt petit, unde inquit Alexander quòd dum Ariſtoteles diuiſiuam methodũ paruam particulam prædictæ methodi uocat, de diuiſione qua Plato uſus eſt intelligit, haud tamen ait, ab Ariſtotele redargui Platonem, prædictæ ſiquidem methodi diuiſionẽ paruam partis

Exponens præfa. Porphir.

culam eſſe, nec Plato inficias it, quòd autem in Platonicos inuehatur, ipſe Alexãder expreſſit, cũ enim dixiſſet, ſola diuiſione antiquiores uſos, ſuſpicans forſan nequis, per antiquiores, Platonem Euclidem ac cæteros ſummos ipſum intelligere cogitaret, ſemel gloſſauit dicẽs, antiquiores. i. Platonici: liquet igitur, quòd nec etiã ſecundum Alexandri expoſitionem, in Platonem arietem direxit Ariſtoteles. Et de obiectionibus quidem, quæ determinationi repugnare uidebantur, tanta.

ETYMON DICTIONIS ARISTOTELES EXPLICATVR.

ARiſtotelem peripateticorum Principẽ Logicen inueniſſe, ac perfeciſſe cum iam declarauerimus, ut Tyũrculis etiã fiat ſatis, ne inpoſterum ambigant, quid ſibi uelit hoc nomen, Ariſtoteles, quidue illud, peripateticus, utrũq; declarare non dedignabimur. Nomen, Ariſtoteles, nil aliud ſignificare quàm optimum finem arbitramur, compoſitum ſiquidem eſt ex duabus græcis dictiõibus, ſcilicet ἄριστοσ, quæ optimũ, & τελοσ, quæ finẽ denotat, dicitur ergo Ariſtoteles, quaſi ἄριστοσ τελοσ. i. optimus finis & perfectio quæ ĩ natura humana reperiri poſſet,
Tertio de ãia. 14 *quibus etiam Barbarus Auerroes alludere uidetur dum inquit. Credo enim quòd iſte homo fuerit regula ĩ natura & exẽplar, quod natura inuenit ad demonſtrandum ultimam perfectionem humanam in materia, quatenus enim illum perfectionẽ uocat, optimum innuit eſſe, quatenus uerò ultimam, finem. ultimorum enim*
5. Metha. 21. *finis eſt ut inquit Ariſtoteles.*

CVR ARISTOTELES EIVSQVE ASSECLAE
Peripatetici dicantur.

CVr autem Ariſtoteles, eiuſq; ſectatores peripatetici uocitentur, non omnium eadem eſt opinio, ſunt enim qui tradunt partẽ illã Gymnaſij ĩ qua Ariſtoteles docebat περιπατον .i. deambulatoriũ fuiſſe, ideoq; ut Academici Stoiciq; à loco dicti ſunt, ſic etiam peripateticos de loco cognomentum ſuſcepiſſe. Dicunt alij quòd peripatetici dicti ſunt à περι, ideſt circum, & πατον .i. calcans ſeu ambulans, Ariſtoteles ſiquidem horum Princeps ad ueritatem indagandam, & falſitatem fugandam ſcholas omnes circumire ſolebat. Hãc opinionem tenet Viguitio quidam, cuius Boethi interpres (qui falsò creditur Thomas) Robertus Caractiolus Licienſis, & Dantes Algerius meminere, iidem etiam omnium facultatum ſplendor Conciliator ſentire uidetur inquiens, tertia quoq; peripateticorum extitit .i. circũ euntiũ, per ſcholas enim diſcurrebãt, ut diſceptatione (quæ optimũ ueritatis inquiſitiuum eſt inſtrumentum) in cognitionem peruenirent occulti, quorum Dux & Princeps Ariſtoteles fuit. An uerò Ariſtoteles ut Vguitio, uel eius aſſeclæ ut Conciliator, corpore per aliorum ſcolas deambularint, uel potius mente aliorum dogmata diſcutiendo percurrerint, iudicent alij. Nec deſunt (ut Laertius inquit) qui arbitrentur Ariſtotelem peripateticũ dictum, eo quòd ex ægritudine conualeſcenti ac deambulãti Alexandro aſſiſtens quædam diſſerere ſoleret. Eloquẽtiæ autem pater Arpinas (à quo latinorum chorus ferè uniuerſus accepit) eũ peripateticum dictum arbitratur, quia ambulando docere ſolebat. Nos autem Ammonium ſectantes (à quo Nicolaum Leonicum uirũ undequaq; doctiſſimum ſuſcepiſſe credimus) aſſeueramus, Ariſtotelem non ex loco ut primi, non ex actione Alexandri,

Prima opinio.
Teſtatur Guarinus in uita Ariſt.

Secunda opinio.
In uolumine deriuationum quod uetuſtiſſimũ eſt apud nos.
In expoſitione libri conſol. & diſcipl.
In libro de timore iuditiorum diuinorum.
In Sympoſio quod Italica lingua ſcripſit.

Differentia. I24
Tertia opinio.
In quinto.

Quarta opinio.
In primo quæſt. Academ.
Quinta opiuio.
In expoſi. præfa. prædicabil. & in præfa. prædicam.
In dialogo Peripateticus.

ut ſecundi, non ex ſua in circũeundo ut tertij, non ex ſua, dum do ceret ut quarti, ſed ex Diuini Platonis deambulatiõe peripateti cũ nominatum. Diuinus enim Plato, ut corpus exerceret, & ad animi ſplendorem ſuſcipiendum aptum redderet in Academia cum familiaribus deambulare ac congredi ſolebat, quod fuit ĩ cã ut Platonis etiam commilitones, peripatetici, ideſt deambulatores cognominati ſint. Poſt Platonem uita functum, Ariſtoteles & Xenocrates Gymnaſiũ tenuere, Ariſtoteles in Lyceo, Xenocrates in Academia, Ariſtotelici igitur peripatetici ex Lyceo, Xenocratici uerò, peripatetici ex Academia dicti ſunt, paulopoſt tẽpore, qui Ariſtotelem ſequuti, ab actione tantum cognomen ſumpſere, delentes quòd à loco fuerant nacti, qui uerò cum Xenocrate, contra, actionis nomen renuentes, loci cognomen retinuerunt: & hæc de utriuſq; dictionis expoſitione, conſequẽs iam eſt, ut obiectiones in principio adductas examinemus.

QVINQVE PRIORES OBIECTIONES DELENTVR.

In prologo poſte.

DVm Auerroes cum Auicenna conflictatur, de ordine libri Poſteriorum ac Topicorum, hac diſtinctione ſe muniuit, quòd ſcilicet aliud eſt demonſtratiuè arguere, aliud uerò demonſtrationis, regulas aſſignare, hac eadem etiã nos muniti priores aliquot obiectiones facile delebimus. Concedimus enim Tarentinum Archytam (cum Logicã per inuentionem habuerit) optimè definiſſe. perfectaſq; definitiões abſtrahere ſciſſe, at definitionis canones poſteris aſſignaſſe inficias imus, iddem etiam de Euclide affirmamus, quòd & ſi optimè demonſtrarit, demonſtrationis tamẽ regulas alijs nõ reliquit, Diuinus etiam Plato cũ

demonſtrationem

demonſtrationem & definitionem calluiſſet, utranq; definitionē eſt conſequutus, quatuor etiam methodis eum uſum (ut Ioannes & Ammonius) quomodo tota ferè Logica (ut Alcinous, & Beſſarion) non negamus, Canones tamē quibus ea acquiri poſſet cum methodicè non declararit, meritò Ariſtotelem Logices primum inuentorem canimus.

SEXTA, ET SEPTIMA DESTRVITVR.

AD id uerò quod ex Alberto de Zenone opponitur, quæ rimus, cum inter octo Zenones à Diogene connumeratos duo fuerint anteſignani, Citticus ſcilicet, & Eleates, de quo magnus intellexit Albertus? Si de Cittico dicetur, Reſpondebimus, ut omnittamus qualis nam eius Logica fuerit, nam Chryſippus adeo Dialectica inſignis, ut pleriq; dicerent, ſi apud Deos uſus eſſet Dialecticæ, non futuram aliam, quàm Chryſippeā, in eam pluribus uoluminibus eſt inuectus, non ne illum Ariſtotele nedum non priorem, quinimmò poſteriorem fuiſſe tum ex Laertio, tum ex eloquentiæ parente colligere poſſumus. At ſi de Eleate Albertum intellexiſſe reſponſum erit, (quem Logicæ inuentorem ab Ariſtotele appellatum credimus, quòd uel eam illo ſeculo per inuentionem, quàm longiſſimè, tamen primus inſpexerit, uel ab alijs inſpectam regulis quibuſdam primus īnuulgarit) Dicemus, ea quæ hac in facultate Zeno alijs patefecit, adeo tenuia & ambigua fuiſſe, ne etiam ſophiſtica dicamus, quòd ſi ad ea, quæ ex Ariſtotelea incude prodierunt, compararentur, nec partes nec prīcipia facultatis huius dici debere facilè cognoſcemus.

Dieg. in. 7.

In ſeptimo.
In primo quæſt. Academ.

In.6. phyſi. per longā proceſſum.

primo quidem, nam ſuis ſophiſmatibus indutus eò dementiæ ueſnit (ſi hoc de tanto uiro dicere licet) quòd motum omnibus perſpicuum, eſſe negarit, unde Diogenem Cynicum aliquando audientem huiuſmodi dubitationes, traditur nihil contra eas dixiſſe, ſed ſurgens illis auditis ambulabat, & ex ipſa actione & deambulatione ſoluit ſophiſmata, An uerò in maius amentiæ præcipitium à ſuis ſophiſmatibus fuerit ductus, quòd ſcilicet nedum præter unum aliquid eſſe negarit, ut Parmenides, quinimmo, ne unū quidem eſſe conceſſerit, ueluti nos nihil eſſemus, totaq; rerum natura umbra eſſet, aut inanis, aut fallax, nec affirmare, nec negare licet, non quidem affirmare ob Diogenem aſſerentem, quod nedum aliquid, uerùm etiam plures mundos eſſe, eius placitum fuit. nec etiam negare, cum Annei Senecæ ſententia ſit, Zenonē Eleatem omnia negocia de negocio deieciſſe: Ex quibus quiuis colligere poteſt, quæ Logicalia præcepta ſcribere ualuit, Dein qualia fuerint quæ de ratiocinatione, nedum à Zenone uerùm etiam à quolibet Antiquorum ante Ariſtotelem īuulgata fuere, ipſemet Ariſtoteles patefecit, dū huiuſmodi Antiqores Logicos mercenarios uocat, ſimiliſq; doctrinæ Gorgiæ negocio eſſe dicit.

Simplicius in. 6. phy. exponēs. 7 7

Et Laertius in. 6.

In nono.

In ultima Epiſtola 13

Vide Ariſtotel. in calce Elench.

OCTAVAE RESPONDETVR.

AD illud autem, quod de ueteri Logicà eſt obiectū, reſpō demus, quòd & ſi docti quidam uiri ueterem Logicam dici arbitrentur, eo quòd à ueteribus fuerit inuenta, Maior tamē expoſitorum pars aliam cauſam aſſignat, quòd .ſ. uetus illa dicatur, quia de partibus, hæc uerò noua quia de toto pertractat, modo partes priores et antiquiores eſſe, reſpectu totius eſt manifeſtū,

Autores copulatorum, Bazallerius in princ. priorum, Georgius in princi. prædicabi. Peltrus ubi ſupra.

licet Ariſto.totũ ſuis partibus prius natura facere uideatur.quòd ſi partem hanc ab alijs etiam inuentam concedemus, Auerrois Elogio non repugnabimus,ut iam iam patefiet.

NONA ET DECIMA DESTRVITVR.

OBiectiones uerò quæ ex prædicatorũ libro ſunt allatæ facilè euaderemus,ſi librum illũ non Logicum,ſed Metaphyſicum (ut iuniores quidam arbitrantur) iudicaremus. Nec magis difficilis eſſet euaſio,ſi (ut alij) ad Logicē,non neceſſariam utilitatem adferre diceremus,primos enim inſectantes, obiectionem ad propoſitum non eſſe affirmare poſſemus,ſecundos uerò imitantes aſſereremus,quòd Auerrois dictum de Logica quò ad neceſſarias partes intelligi debet.Sed quia communis eſt opinio quòd Logices,& neceſſaria quidem pars exiſtat, ob hoc in hac etiam ſtantes uideamus,an obiectio diſſolui poſſit? Inprimis illud dicere poſſemus,quòd & ſi maximi, quidam uiri Græci, Arabes,& Latini,arbitrentur Tarentinum Archytam rerum diuiſionem in decem ſumma genera diſtribuiſſe,efferentes quēdam librũ ſub Archytæ nomine doricè ſcriptum, cuius quidem factionis ex Græcis eſt Ammonius ĩ prædicabilibus, Simplicius dum præfatur in Cathegorias,& Diuinus Iamblicus, ut idem Simplicius et Boethus affirmant,ex Arabibus autem Auer.eſſe uidetur,dum in Epitoma Logico ſuprema genera decem eſſe dicit,ſecundum quod ea antiqui nominauerunt. Ex noſtris autem, (ut alij dimictãtur) eſt Seuerinus Boethus ĩ Arithmeticis,& alterum Principum decus Picus ſecundus, eſto dicimus quòd hi

Ant.Bern.Mirã, in opere ex intēto. Bald.in proprio quæſito.

In prædicamen. præfat.

Sermone de prædicamentis.

Nicolet. et Feltr. ubi ſupra.

hoc falſum eſſe contendit prædicationeſq; ab Ariſtotele primò excogitatas affirmat, librū uerò Dorica lingua conſcriptum, non à Tarētino, ſed ab alio quodam Ariſtoteleo Archyta exaratum arbitratur, quòd etiam ex noſtris Fabius in tertio inſtitutionum oratoriarum opinari uidetur, dum īquit, primum Ariſtotelem elementa decem conſtituiſſe, ſed ne pes ſiſtatur in ambiguis, quinimmo in his, quæ ex Platonis Parmenide falſa eſſe cognoſcimus. Dicamus, eſto quòd Archyta Pythagoreus decē prædicationes exararit, eiq; Diuinus Plato (ut etiā Simplicius ait) ſit aſſentitus, ac inſuper ipſum adunguem etiam, quo ad uocabula (ut Simplicij uerbis utar) Ariſtoteles ſit proſequutus, non tamen ob hoc Auerrois dictum falſum eſſe cōuincitur. Illud enim de tota Logica intelligendum arbitramur, non abſolutè, quia non de ea quæ methodos præcedit, ut eſt uolumen prædicationum, ſed ſolum de Logica quæ methodos ut ſyllogiſmum, definitionem, & cæteras perſcrutatur.

Cap. 6.

In præfa. prædicamentorum.

VNDECIMAE AC DVODECIMAE SATISFIT.

ILlud autem quod de Rhetorices inuentione & amplificatione obiectum eſt, uerum eſſe confitemur, tamen cum Rhetoricē ad ſpeculatiuas artes perſeuerandas neceſſariam non arbitretur Auerroes, aſſeueramus eius in Ariſtotelem Elogium de tota Logica intelligi debere, quæ neceſſaria quidem eſt ad perſcrutationem ſpeculatiuarum facultatum, ſiue illæ ad perfectionem fuerint deductæ, ſiue non, Themiſtij uerò autoritatem ueneramur, eamq; eo quidem modo gloſſatam uolumus, quo primis obiectionibus ſatisfuit factum.

In Epit. log. capi. de locis Topicis.

DECIMATERTIA ET DECIMA Quarta Diluitur.

Cum itaq; hucuſq; eas obiectiones iam diſſoluerimus, quæ Ariſtotelem Logicæ inuentorem fuiſſe non concedebant, iam ad eas demoliẽdas accedamus, quæ illum Logicam perfeciſſe inficiãtur, ad id igitur quod ex ſummulãtium turba opponitur, dicimus quòd licet ſuperiori ætate maxima ueneratiõe habita ſint iam tamen, frugibus inſpectis, glandes abijciũtur, quòd ſiquid boni in illis eſt, in Ariſtoteleis libris, illud aut clarè aut ſubobſcurè etiam inuenitur. Seuerinum uerò Boethum, quæ de diuiſione ac definitione ſcripta reliquit, ex Ariſtoteleis Analyticis, ac Topicis ſumpſiſſe nemo negabit: Methodum autem Tyrium ſui libelli cognitionem neceſſariam, i. utilem appellaſſe, Ammonius, et Nicheta teſtantur. Dum eã exponũt. *Vnde haud immeritò forſan, illum huius artis partem eſſe negat Auer.* In calce expoſitionis huius libri. *Gilbertum uerò, & Simplicium, ſex principia dilatantes, ad ulteriorem doctrinam hoc feciſſe arbitramur, quæ enim ab Ariſtotele circa hæc dicta ſunt, ſufficere ipſe Ariſtoteles confeſſus eſt,* In calce Prædica. *Galenus dum quartam figuram Ariſtoteli addere conatur, mirum in modum ab Auerroe irridetur, an uerò hic fuerit ille Galenus, qui medicorũ Princeps nominatur, an alter quidam Arabs, qui demonſtrationem duobus libris eſt amplexus, (ut ſubtilis quidam Neapolitanus Doctor affirmat)* Anto. Scot. in q̃one de potiſſima demõſtratione. *nõdum liquet: Septimum uerò modum tertiæ licet Porphyrius oſtẽdere conetur, in hoc tamen Ariſtotelem magis ſequendum Seuerinus patefecit,* In ſecundo de ſyllogiſmo cathe. *quòd ſi quinq; modos primæ figuræ quatuor Ariſtoteleis Eudemus et Theophraſtus addiderint, id tamen Ariſto-*

Primo Priorũ.12 *ab Ariſtotele uelut innaturales ſtudio prætermiſſos affirmet, Alpharabius uerò ab Auerroe ſatis abunde proſternitur. Alios autem libros definitionem explicantes deſiderare (ut Magnus uolebat Albertus) omnino ſuperfluum eſſe putamus, eam enim, iuxtà Auerroẽ, in ſecũdo Poſteriorũ ab Ariſt. traditã ĩ abemus.*

VLTIMA DESTRVITVR.

In calce Elench. *VLtimã tandem ab ipſo Ariſtotele, ac Alexandro deiectam affirmamus, inquiunt enim, quòd & ſi aliæ artes, & ſciẽtiæ non ab inuentoribus, ſed ab alijs qui eas receperũt habuerint perfectionem, Logicum tamẽ negocium ab Ariſtotele primò fuit inuentum, & ab ipſo perfectum, quòd ſiquis ceruicoſus hoc concedere non uult, dicemus, licet artes & ſcientiæ ſecundum naturæ curſum perficiantur per additionem ſequentium ad præcedẽtes, nihilominus, Ariſtotelem affirmare Logicam inueniſſe, ac perfeciſſe, non arbitramur abſurdum, fuit enim miraculum in natura, &* In prologo phyſi. *homo, qui (ut Auerroes inquit) potius debet dici diuinus, quàm humanus, quòd ſi Auerroi nõ creditur, credatur ſaltim* Diuo Hieronymo, *qui ad Euſtochium ſcribens ait, quòd Ariſtoteles abſq; dubitatione prodigium fuit, grandeq; miraculum in tota natura, cui penè uidetur infuſum, quicquid naturaliter eſt capax genus humanum, & hæc quidem de Logices inuentore, ad laudem Altiſſimi, dicta ſufficiunt.*

Explicit.

NE LOCVS VACVO DETVR, SEQVENS CAPVT

Autor adiecit, quo Ammonium Alexandrinum, Ammonium Hermeam, & Hermeam ſimpliciter diuerſos eſſe oſtenditur.

AN idem fuerit Ammonius Alexandrinus, Ammonius Hermeas, & Hermeas ſimpliciter, ignorare ſe Genſnerus confeſſus eſt. Nos autem arbitrãtes hos diuerſos eſſe, iam oſtendamus, & primò quòd Alexandrinus Ammonius, ab Ammonio Hermea, fuerit alius. Alexandrinus Ammonius, ut Porphyrius narrat, Plotini præceptor extitit, Plotinus ipſius Porphyrij, ut ipſemet faſſus eſt Porphirius, Hic (Suida referente) Iamblicum inſtituit, Iamblicus autem Proclo, aut Prior, aut ſaltim coetaneus fuit, citat enĩ eum ſepiſſime Proclus: Proclus autẽ cognomine ſucceſſor Ammonium Hermeam inſtituit, ut ipſe etiam Ammonius ſcriptum reliquit, Maximum itaq; temporis interuallum inter Alexandrinum, et Hermeam Ammonium præterijt: ſignum euidẽtiſſimũ, quòd hic Porphyrij introductionem explicarit, ille uerò Plotinũ Porphyrij præceptorem docuerit. Quòd uerò Alexãdrinus Ammonius, ab Hermea ſimpliciter alius fuerit, ex dictis facilè colligi poteſt, oſtenſum enim eſt Alexandrinum Ammonium Proclum lõgè præceſſiſſe, qua de re & Hermeam. Hermeas enim una cum Proclo (autore Suida) Syrianum audiuit, ſolum itaq; reſtat declarandum, quòd Ammonius Hermeas, ab Hermea ſimpliciter alius fuerit. Tria enim reliqua quæ retrocedendo inquiri poſſent, iuxta Porphyrij regulam ſuperfluè inquirerẽtur. Hos

In Bibliotheca in nomĩe Ammonius Hermeas.

In libro de uita Plotini.

In expõne ſuper Thimeum.

In principio præfationis in lib. perih.

In ſecundo tracta. prædicabil.

ſantes aſſerimus ex Suida, Hermeam Ammonij patrem fuiſſe. Ex quibus coniectura eſt haud forſan omnino falſa, quòd ſcribendum eſt, Ammonius Hermeæ. quomodo Xenophon Grilli apud eundem Suidam ſcriptum eſſe comperimus, Ex his etiam liquet, non ſatis eſſe tutum, quòd excellentiſſimus Portius in cathedra dixit: ac etiã nobis ĩtra domeſticos parietes (.D. Michaele Loſfredo præſente) confirmauit, ſcilicet expoſitionis ĩ prædicabilia Ammoniũ minorem autorẽ eſſe, eius uero quæ in prædicamenta maiorem, Expoſitor enim hic cum Porphyrij quinimmo Iamblici à Porphirio edocti opinionem de intentione libri prædicamentorum citet, non uideo quomodo ille Ammonius eſſe poteſt qui Plotinum Porpyhrij Doctorem inſtituit. Adſtipulantur nobis prima expoſitoris uerba ſcilicet, quemadmodum cum introductiones auſpicaremur, ea dicebamus, quæ ad omnem Philoſophiam ſpectãt, deinde propoſiti nobis inuẽtionẽ libri definiebamus, ita nũc quoq; exordientes priuſquã Ariſtotelis tractatum aggrediamur, dicamus ea quæ ad Ariſtotelicam omnem Philoſophiam pertinent, tum ſic quem præ manibus habemus, prædicamẽtorum libri intentionem decernemus. Ex his enim quiuis, eundẽ fuiſſe qui prædicabilia ac cathegorias expoſuerit, clarè percipere poteſt.